

ante praesentem guerram facere poterant. Et quod dicti Veneti et eorum subditi per praefatum Serenissimum dominum Regem et eius officiales benigne et favorabiliter tractentur, sine aliqua iniuria vel offensa. Et ultra praedicta, quod dicti Jadratini usque ad annos viginti singulis annis, et quolibet anno, et alii Dalmatini usque ad dictos annos viginti singulis annis, et quolibet anno, possint et valeant, et eis conceditur, et concessum esse intelligatur per dictum commune Venetiarum, portare, vel portari facere ad dictam civitatem Venetiarum tot res seu merces ex illis, quae nascuntur vel extrahuntur de territorio dicti domini Regis, quae valeant ducatorum triginta quinque millia auri, videlicet dicti Jadratini valorem ducatorum viginti millium, et alij Dalmatini valorem quindecim millium ducatorum. Quas res et merces ad dictam civitatem Venetiarum per dictos Jadratinos et Dalmatinos delatas vel transmissas, vendere et vendi facere, et alio quocumque titulo alienare possint in dicta civitate Venetiarum, quibuscumque personis eis placuerit, et non Venetis. Et in dicta civitate Venetiarum dicti Jadratini et Dalmatini emere et alio quocumque titulo acquirere possint singulis annis, et quolibet anno, ex dictis annis viginti, tantam quantitatem mercium mobilium, quae valeant dicta triginta quinque millia ducatorum, dividenda intra dictos Jadratinos et Dalmatinos, pro rata praedicta, a quibuscumque personis, et non Venetis. Et ipsas merces portare possint Jadram et Dalmatiam, et ad alias partes subditas dicto domino Regi, ipsis Jadratinis et Dalmatinis solventibus, tam portando, quam extrahendo, et tam ementibus, quam vendentibus gabellas, datia, pedagia et alia onera consueta, quae per Venetos tantum solvuntur. Et quod per dictum commune Venetiarum licentia concedatur quibuscumque non Venetis emendi a dictis Jadratinis et Dalmatinis, ut supra, et similiter eisdem vendendi absque aliquo banno siue poena, et hoc singulis annis pro quantitibus et usque in quantitates contentas in praesenti capitulo. Dummodo per praedicta non intelligatur, quod dicti Jadratini et Dalmatini possint Venetias portare salem, nec immittere vel extrahere de Venetijs ea, quae Veneti proprij immittere vel extrahere non possint. Et sic praedicta fiant sine dolo, et tali cautella adhibita, quod salvis praedictis, et concessione praedicta, commune Venetiarum conceditur, et concessum intelligatur in perpetuum dictis Jadratinis, quod eisdem liceat emere in Venetijs, et inde extrahere cupos seu tegulas, et matones tantum pro constructione et reparatione edificiorum suorum, absque solutione alicuius pedagij, datij vel gabellae. Item fuit solemniter conventum et actum inter partes praedictas, nominibus ante dictis: Quod commune Venetiarum vel aliquis officialis eiusdem non possit facere aliquod statutum, decretum vel provisionem spetialem contra subditos dicti domini Regis, et praecipue contra Jadratinos, seu in ipsorum praeiudicium; generaliter vero statuere et ordinare liceat pro libito voluntatis. Item fuit actum et conventum inter dictas partes, dictis nominibus: quod bona immobilia singularium personarum, existentia in Venetijs, vel territorio dicti communis Venetiarum, quae tempore inchoationis praesentis guerrae erant aliquorum subditorum dicti Domini Regis, seu per eos possidebantur; restituantur eisdem in eo iure possessionis et Dominij, quo tenebantur tempore inchoationis praesentis guerrae. Et eodem modo omnia bona immobilia singularium personarum de Venetijs, vel eorum territorio, existentia in territorijs praefati Serenissimi Domini Regis, dictis singularibus personis restituantur in iure possessionis et Dominij, quibus tenebantur ante praesentem guerram. Item fuit actum et spe-